



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Quosda[m] in fine vitæ cadere, vt numquam simus securi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

catum, aut etiam in ipsam desperationem, adeò, vt æternūm damnarentur? Nam quidam leguntur, post longam vitæ seuerissimæ sanctitatem, ex desperatione, etiam in puteos se coniecisse; quidam, Dei amore, viginti, triginta, quadraginta annis, in claustris abditi, se suspendisse: alij aliter seducti optimæ vitæ pessimum colophonem addidisse. Ad quid prodest igitur ab adolescentia jugum Domini portare, aut pondus diei & ætus sustinere? His respondendum est, paucissimos esse, quibus id legatur contigisse, vt post longam pœnitentiam, aut vitæ pietatem, mala morte cursum suum bonum terminârint. Sicut enim malam vitam plerumque mala mors sequitur, & apud Comicum dicitur:

Hi senes, nisi fuissent nihili iam inde ab adolescentia,

Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.

Plaut. in
Bacchidib.
Epilogo.

Legi, relegi, ait S. Hieronymus, non vidi mala morte mortuum, qui vixerit benè. Et sanè vita ipsa solet esse prælagium mortis. Qualis vita, talis mors frequentissimè. Etsi enim aliqui saltem in fine pœnitentiam agant, & ad diuinam misericordiam recurrant, cum altero latrone Christi; tamen longè sunt pauciores, qui à Deo deficient morituri, cui antea per omnem vitam adhaeserunt. Respondent sibi plerumque morum itus, & exitus: & consuetudo viuendi, paradigma est moriendi. *Qua enim seminauerit homo, hac & metet. Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminauerit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Itaque bonum facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.*

Galat. 6. 8.

Interea non est homo securus à tentationibus totaliter, quàm diu vixerit: quia in nobis est, unde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus. Vna tentatione, seu tribulatione recedente, alia superuenit, & semper aliquid ad patiendum habebimus, nam bonum felicitatis nostra perdidimus: immò & securitatis bonum in hac vita non habemus. *Quidam in principio conuersionis suæ grauiores tentationes patiuntur; quidam autem in fine.* Itaque vniuersa hæc vita arena est, in quam descendimus, vt in ea, siue ad præmium, siue ad supplicium depugnemus. Omnia nostra negotia sunt, mereri, vel demereri. *Quàm diu in hac carne sumus, ait S. Theodor.*

II.
Thom. de
Kemp. lib. 1.
de limit. c. 13.

S. Theodor.
dorus

Studita.
form. 118.

S. Augustin.
lib. de nat. &
grat. cap. 35.
contr. Pelag.

Pfal. 21. 11.
1. Cor. 10. 12.

III.

Pfal. 72. 22.

dorus Studita, praesto est bellum: neq; enim fuerit virtus, nisi praesens sit bellum. In bello autem quid est, nisi aut vincere, aut vinci? Nullo igitur tempore vult nos esse securos DEVS, vt omni tempore vigilemus. Quare duobus malis prouidit; lapsis per eos, qui surrexerunt; stantibus per eos, qui ceciderunt. Idcirco enim in exitu, quandoque nonnullorum flagitiosissimorum hominum misertus est, eosque in gratiam recepit sub ipsum finem vitae, vt spem omnibus faceret, ex quorundam salute, qui flagitiosissimi cum fuissent, tandem tamen resipuerunt. Horum casus non tantum vtilis fuerunt ijs ipsis, sed etiam alijs, qui eorum exemplis animati ipsi quoque ad secundam hanc naufragij tabulam confluxerunt. *Quorundam sanè exempla*, ait S. Augustinus, *quos peccasse legimus, non ideò scripta dicit, qui sanum sapit, vt ad desperationem non peccandi valeant, & securitatem peccandi nobis quodammodo praeberè videantur; sed vt disceremus vel poenitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus non desperandam salutem.* Sicut ergo nonnulli, qui diu in sordibus jacuerunt, tandem ex illis, diuina gratia emergunt; vt nullus peccator dicat, se nimis diu in coeno scelerum suorum hæsisse, neque iam peccata relinquere atq; inde eluctari posse; cum exempla contrarium demonstrent: ita etiam par fuit, vt à diuina prouidentia exempla esse finerentur; ne quisquam de sua virtute praesumeret, quantumuis diu virtuti operam dedisset; sed vt *seruiret Domino cum timore*, iuxta illud: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Facile autem agnoscat, se cadere posse, quisquis viderit, audiuerit, vel legerit, alios sui similes cecidisse. Id nos humiles facit, quod docet esse labiles. Vbi casus non timeretur, nulla est incendendi sollicitudo.

Fateor, tremendum est, & formidinem magnam iniicit nobis, si cogitamus, aliquos vsque ad supremam senectutem, DEO gratos amicosque extitisse, & tandem lapsos Acheronticis incendijs fuisse adjudicatos. Sed hoc ipsum Deo dignum, & diuinæ prouidentiae conueniens est; quia facit, vt, semper sollicitè in diuino eius conspectu cauteque ambulemus; nec nos ipsos circumspeciamus, & nobis de magnis victorijs ipsi acclamemus; sed identidem cogitemus, nos cadere posse; sanctiores nobis cecidisse; ex nobis ipsis nihil esse, nihil valere, & *ad nihilum redigi posse.*